

ex circumstantiis actus boni est bonus finis ex parte operantis. Quod autem iste bonus finis operantis sit ipsamet honestas particularis virtutis, verbi gratia, ipsius temperantiae, vel iustitiae, cujus operatio fit, hoc non dicit philosophus, nec ratio exigit, sufficit enim quod sit ex bono, et honesto fine, quicumque ille sit, sic enim eligit propter ipsa, id est, propter honestatem virtutis, dum non eligit propter aliquem pravam finem, nec destruit eam honestatem.

LXI. Secundo potest intelligi positive quod eligat propter ipsa, ly propter non dicente causam finalem cujus gratia, sed causam impulsivam, quatenus illa operatio virtuosa respicitur ut conveniens ipsi operanti, sive ordinetur ulterius ad alium finem, sive non; sed tamen ut quis virtuose, et quasi ex habitu operetur, oportet quod reddatur illa operatio ut conveniens sibi, et tamquam sibi placens eligatur. Hoc enim est signum quod aliquis sit virtuosus, quando operatio virtutis facta est ipsi operanti connaturalis, et conveniens, et sic tamquam aliquid sibi proprium, et conveniens redditum diligitur. Et hoc est diligere, seu eligere illa operata virtuosa propter ipsa, id est, propter eorum convenientiam, et quasi connaturalitatem ad se in quantum virtuosus sunt. Quod autem eligitur propter convenientiam ad se, illud motivum convenientiae sufficit quod sit impulsivum, non autem requiritur quod sit finis cujus gratia, tamquam ultimum quod movet ratione sui, et cujus gratia cætera sunt volita. Quæ solutio fundatur in verbis D. Thomæ dicentis: « Quod debet eligi propter ipsa, scilicet propter ipsum opus virtutis, quod secundum se placet ei, qui habet habitum virtutis tamquam ei conveniens. »

LXII. Tertio potest intelligi, quod

operans virtuose debet esse eligens operata propter ipsa, ly propter dicente causam finalem motivam, sed non oportet quod sit finis ultimus, sed sufficit quod sit finis intermedius, seu ordinabilis ad ulteriorem finem; nam bene potest unus finis ordinari sub alio, et unum bonum etiam honestum esse sub alio, nec enim omnis finis debet esse ultimus, nec omne honestum est summum bonum, sed sufficit quod sit finis intermedius; sed quia Vazquez negat dari finem intermedium, ideo etiam negabit posse dare speciem bonitatis si appetatur ut talis finis; cujus tamen contrarium supra ostendimus disputatione prima, ut docet S. Thomas supra quæst. XII, artic. II. Itaque bene potest voluntas aliquid honestum eligere, et velle, et tamen non ibi sistere, sed ad ulteriorem finem ordinare, sicut colores sunt visibiles, et tamen subduntur luci tamquam ultimæ rationi formali in genere visibili. Sic etiam finis quod est bonum, et bonum honestum potest appeti propter se, et ratione sui, nec tamen ut finis ultimus, quia hic est plane satiativus, et adæquans totam voluntatem, intermedius autem ut bonum appetitur, sed non plene, et adæquate satiativum, nec tamen ut purum medium appetitur, quia non ut præcise conducens ad alterum, quod est de ratione medii, seu boni utilis, sed ut in se bonum, et ratione sui appetibile, quod pertinet ad finem, sed tamen non ut plene, et adæquate satiativum, quod est de ratione finis ultimi, sive sit satiativum ex natura rei ut finis verus, sive ex apprehensione, et voluntate operantis, ut apparet.

LXIII. Dices: Non potest idem actus simul esse intentio, et electio, ergo neque potest simul participare duas bonitates, aliam ex objecto proprio, aliam ex fine intento et

imperante. Consequentia probatur, quia bonitas, quam participat ex objecto proprio est bonitas, seu honestas volita propter se saltem ut finis intermedius (ut diximus) bonitas ex fine intento, et imperante est bonitas participata in mediis quatenus utilia sunt, et sub electione cadunt, et quatenus diliguntur ratione alterius, id est, finis imperantis; ergo si participat idem actus has duas bonitates, participat rationem electionis, et intentionis; ergo a contrario, si non potest participare rationem intentionis, et electionis simul, neque duas illas bonitates participare potest. Antecedens probatur; tum, quia idem actus non potest in intellectu versari circa principia, et circa conclusiones, ergo neque idem actus in voluntate circa intentionem, et electionem: intentio enim est de fine, et electio de medio, electio autem oritur ex influentia intentionis; ergo supponit illam; ergo non potest esse idem actus simul intentio, et electio, sed debet esse duplex actus, et sic recta est sententia Vazquez, quod si in actu interiori datur duplex bonitas, etiam et duplex actus dari debet; tum, quia electio ut electio est circa bonum, utile in quantum utile, quia est de mediis ad finem; ergo electio ut electio non versatur circa bonum honestum, quod est proprium bonum virtutis, sed si talis honestas datur est ex fine imperante.

LXIV. Respondetur negando consequentiam, et dicimus non repugnare quod idem actus sit electionis circa medium utile respectu alterius finis superioris, et tamen in se habeat honestatem finis proximi in qua fundatur illa utilitas. Itaque non omnis utilitas est exclusiva honestatis, sed potest dari utilitas in honestate fundata, ut quando intendimus lucrum mediis licitis, et honestis, id

est, neminem defraudando, et quando intendimus litem vincere manifestando veritatem, et per media justa; et in aliis multis, in quibus honestis, et debitis mediis procedimus. Et similiter in aliis negotiis possumus uti mediis utilibus, et simul delectabilibus, ut quando ad sanitatem acquirendam utimur medicina delectabili, et saporosa. Quando ergo in ipso medio concurrunt istæ duæ rationes, scilicet utilitatis in quantum medium præcise, et bonitatis absolutæ, seu ratione sui appetibilis in quantum etiam finis intermedius est, concurrunt duplex actus, scilicet intentionis circa illam honestatem, vel delectabilem, quam habet ex se illud objectum, ratione cujus propter suam honestatem amatur ut finis intermedius, et actus electionis, quatenus eandem honestatem, vel delectabilitatem amatam, et placentem in se eligit tamquam utilem ad alium finem superiorem, alia distincta intentione prius intentum, et tunc ille actus, qui est electio participat duplicem honestatem, et bonitatem simul, alteram ex honestate propria objecti, quæ in se amatur, fundatque utilitatem illam ad finem, et intentionem superiorem, et mediante illa habitudine, qua tangit illum finem superiorem cui deservit, et a quo movetur, participative etiam ejus honestatem communicat. Et sic nunquam idem actus est intentio, et electio, sed quia una intentio subordinatur alteri intentioni, et electio ut electio potest subordinari, aut coordinari utrique, sicut una conclusio subordinari potest pluribus principiis, verbi gratia, præmissis ex quibus immediate inferitur, et aliis præmissis, a quibus istæ inferuntur; ideo potest etiam electio participare utriusque intentionis bonitatem, præsertim quando bonitas ipsius utilitatis, seu medii

in quantum utilis fundatur in honestate, vel delectabilitate jam voluta, tunc enim se habet ut finis intermedius, qui per intentionem intermediam appetitur, et hæc intentio etiam inferior est ad illam, quæ respicit finem ultimum, aut finem superiorem.

LXV. Et cum infertur, quod tunc illæ bonitates pertinebunt ad plures actus, non ad unum, distinguo; pertinebunt ad plures actus intentionis tamquam ad causas, et origines influentes in unum actum electionis, transeat; pertinebunt ad plures actus formaliter, qui sint electiones plures, et actus plures virtutum nego; sed unicus actus electionis participat in se plures bonitates ex diversis actibus derivatas (sicut unica conclusio derivatur a pluribus antecedentibus, a quibus participat suas probationes) eo quod ille actus electionis supponit actum superioris finis tamquam imperantem, et actum intentionis inferioris circa honestatem propriam hujus objecti tamquam finis proximi, et intermedii, et ex his confluit actus electionis respiciens honestatem propriam ut proxime intentam, et honestatem finis superioris ut imperantem remote, et iste actus est qui simul participat omnes illas honestates.

LXVI. Si autem urgeas, quia utile ut utile pertinet ad electionem, quæ est circa media; et utile ut utile distinguitur ab honesto; ergo electio ut electio (quæ est actus virtutis) non habet ex vi electionis honestatem propriam, sed solum utilitatem, respondetur distinguendo majorem; utile ut utile pertinet ad electionem, ut pure utile ad puram, et solam electionem, transeat; utile ut virtuosum, et fundatum in honestate objecti, et ut moraliter bonum pertinet ad electionem ut virtuosam, id est, supponentem bonitatem pro-

priam terminantem etiam intentionem sui ut finis intermedii, transeat. Et sic non est necesse distinguere utile ab honesto omnino contrarie, aut dispartate, sed posse utile fundari in honesto.

LXVII. Ad confirmationem principalis argumenti formatam ex diversis loci D. Thomæ respondemus, quod in priori loco cum dicit martirium esse materialiter actum fortitudinis, et formaliter charitatis, ly materialiter est idem quod substantialiter, et essentialiter, atque elicitive. Quod manifeste patet ex ipso contextu articuli. Intendebat enim D. Thomas ibi probare quod electio elicitive pertineat ad voluntatem, licet directive ad intellectum, seu rationem, eo quod actus ad illam potentiam pertinet a qua substantialiter elicitor, licet hæc substantialiter actus materialiter se habeat respectu superioris potentiae, vel habitus ordinantis, aut imperantis illam; et ad hoc affert exemplum de martyrio tolerato, et imperato a charitate, quod materialiter est a fortitudine, formaliter a charitate, id est, a charitate imperative, et directive, a fortitudine elicitive, quia entitas, et substantia illius actus a fortitudine est, licet hæc substantia actus materialiter se habeat in ordine ad directionem superioris virtutis, ad quam dicitur formaliter pertinere, non formaliter specificative, et constitutive, sed formaliter motive, seu directive. Hoc tamen non tollit, quod ille actus qui substantialiter, et elicitive est a fortitudine ab ea habeat speciem suam moralem sumptam ex objecto, seu fine proximo illius, licet hoc, quod materialiter est in illo comparative ad actum superiorum, moventem, et dirigentem, et imperantem, formaliter se habeat quoad speciem constituendam pro ut ex proprio objecto desumptam.

LXVIII. Ad posteriorem locum ex

hac quæstione XVIII, artic. VI, respondemus, quod quando dicit S. Thomas speciem humani actus considerari formaliter secundum finem et materialiter secundum objectum exterioris actus, respondetur, quod respectu interioris actus, id est, imperantis (hoc enim nomine interioris intelligit S. Thomas) finis dat speciem formaliter, quia ut ibi S. Thomas docet finis est objectum actus interioris. Respectu autem actus exterioris, id est, imperati, finis dat speciem formaliter participative, non formaliter essentialiter, et ita actus humani habent ex fine speciem, vel essentialiter, vel participative; essentialiter quidem actus interior, seu imperans, quia versatur circa finem tamquam circa objectum; participative autem actus exterior, seu imperatus, qui habet finem ut circumstantiam, et ab illo movetur, et dirigitur, et sic talis actus participat honestatem illius finis, utpote ordinem dicens ad illum; habet autem ex objecto proprio, seu ex fine proximo speciem suam, sicut manifeste distinguit has bonitates S. Thomas in actu exteriori quæstione ista XX, artic. I et II, sumens bonitatem ex fine ut derivatam ab actu voluntatis, id est, ab intentione voluntatis, quæ versatur circa finem tamquam circa objectum; bonitatem autem ex ratione, id est, ab objecto regulato ratione, ut immediate sibi convenientem, et ipsi exteriori actui propriam. Nomine autem exterioris actus non intelligit D. Thomas solum illum actum, qui ab externa potentia sit, sed omnem actum imperatum, qui respectu imperantis exteriori censetur, hoc est, extra illum: nomine autem interioris actus, actum imperantem, qui est magis intimus ipsi voluntati, eo quod prius, et ante alia a voluntate elicitor.

LXIX. Ex quo manet explicatum

id quod D. Thomas dicit solutione ad secundum. quod cum dicit accidere actui exteriori quod ordinetur ad talem finem, tamen interior actus comparatur ad exteriorem sicut formale ad materiale, satis indicat, quod talis ordinatio non dat speciem essentialiter actui exteriori, seu imperato, si quidem dicit quod accidit illi. Quod vero addit comparari ad exteriorem, ut formale ad materiale, sensus est, quod comparatur ut formale in movendo, et ordinando, non in constituendo actum exteriorem essentialiter. Cum autem dicitur quod si objectum daret speciem, non materialiter, sed formaliter se haberet, dicimus habere se formaliter in specificando, et constituendo actum, sicut sæpe dicit D. Thomas sumere actum moralem speciem ab objecto; sed hoc formale in specificando materialiter se habet respectu finis in movendo, quia subordinatur illi ut superiori, et dirigenti quod formale est, et sic participat speciem ejusdem finis, et intentionis ordinantis participative, et accidentaliter, non essentialiter.

LXX. Tertio arguitur, ex illo communi axiomate Aristotelis dicentis: « Quod qui furatur, ut mœchetur, magis est mœchus quam fur, » imo ut habetur expresse in Aristotele plus dicit: nam verba ejus sunt in quinto ethicorum, cap. I: « Qui mœchatur propter lucrum injustus est, non intemperans, » ubi Aristoteles non solum comparative, sed absolute negat esse luxuriosum; ergo ideo est, quia existimat actum imperatum ab alio fine materialiter se habere erga speciem illius finis, et sic non accipere speciem formaliter ab objecto, quando ad finem superiorem ordinatur. Imo si solum dicamus id quod vulgariter in prædicto axiomate dicitur: Quod magis est mœchus quam fur qui furatur, ut mœchetur, ad-

huc probatur inde speciem essentiali sumi ex fine, et non ex objecto in moralibus, et primariam, seu principalem speciem esse ex fine, quia magis denominatur a specie finis, quam objecti; ergo illa est principalior quia magis denominatur. Et rursus id quod est essentiali magis convenit rei, quam id quod accidentale, sed per se est magis mœchus quam fur; ergo essentialiter est mœchus, et accidentaliter fur; ergo species essentialis sumatur ex fine, non ex objecto proximo.

LXXI. Confirmatur, quia actus electionis in quantum electio habet suam formalem rationem specificativam ex fine; ergo finis dat principalem speciem actui electionis, et non objectum, imo et essentiali, quia essentialis specificatio illius actus sumitur ex sua formali ratione specificante, hæc autem desumitur ex fine in actu electionis; ergo. Antecedens probatur, quia electio ut electio versatur circa medium sub formalitate medii, non finis etiam intermedii. Medium autem in quantum medium habet suam formalem, et specificam bonitatem ex fine, quia gratia illius est volitum, et sic comparatur finis ad media sicut lux ad colores (ut supra diximus disputatione quinta). Ergo actus electionis cum versetur circa media ut media, debet in quantum talis specificari a fine ex subordinatione ad quem habet bonitatem, et cujus gratia diligitur.

LXXII. Confirmatur secundo, quia in toto isto aggregato morali ex actu imperato, et imperante, actus imperatus se habet ut materiale, et actus imperans ut formale, sicut dicit D. Thomas in quæstione XVIII, artic. VI. Ergo imperans est qui toto aggregato dat speciem essentiali et primariam, sicut in aggregato ex corpore, et albedine, albedo est

quæ formaliter constituit album, et aggregatum illud.

LXXIII. Respondetur verba illa Aristotelis sic haberi in textu secundum translationem Feliciani, quæ parum differt a translatione Argypoli, et ab antiqua: « Quod si aliquis lucrandi causa adulterium committat, pecuniasque accipiat, alius tribuat, damnoque afficiatur ob cupiditatem, hic intemperans magis esse videtur, quam pluris usurpator, ille injustus, et non intemperans. » Ubi philosophus ponit discrimen inter eum, qui ob concupiscentiam pecunias erogat taliter ut damno afficiatur pro consequendo adulterio, alter autem accipiat pecunias illas, et adulterium perpetret illius lucri causa; primus magis est intemperans quam usurpator, seu injustus, secundus autem e contra non intemperans, sed injustus. Ubi ly non sumitur comparative, id est, non tam intemperans, quam injustus, quia sic prius acceperat Aristoteles dicens priorem illum magis esse intemperantem, quam usurpatorem. Dicitur autem injustus, non quia Aristoteles reputet eum, qui lucratur ex mœchia, injustitiam facere in tali lucro, sed quia expresse loquitur in casu quo tribuens pecunias damno afficitur.

LXXIV. Et sic non habet locum dubitatio Vazquez circa ista verba, quomodo dicat Aristoteles eum, qui lucratur ex mœchia esse injustum, cum non peccet contra injustitiam mulier, quæ pro adulterio accipit lucrum. Respondetur enim, quod Aristoteles loquitur in casu quo tribuens pecunias damno afficitur, et tunc mulier injustitiam committit. Igitur in verbis propositis recte dicit Aristoteles quod unus magis est luxuriosus quam usurpator, alter magis injustus quam intemperans, non loquendo ex parte operis, sed ex parte operantis, in cujus animo

principaliter residet injustitia, quam mœchia, quia est finis ejus intentus, ex quo movetur, et sic principaliter operatur, et magis denominatur, quia qualis est intentio operantis, talis denominatur ipse operans. Cæterum opus ipsum, seu actus mœchiæ, quem eligit, et facit quis propter lucrum non dicitur magis esse injustitiæ opus, quam mœchiæ, sed magis mœchia est, quia in se est ipsummet adulterium, et solum accidentaliter, et ex circumstantia finis moventis participat speciem injustitiæ. Et hæc est certa, et vera solutio, et sensus illius textus, eamque tradidit Medina, et alii, et videtur sequi Vazquez.

LXXV. Sed contra illam objicit Montesinos hic disput. XXIV, quæst. VI, num. xcv, dicitque non satisfacere, quia operans, seu agens est concretum quoddam operationis; ergo quod est præcipuum in ordine ad operantem, debet esse præcipuum in ordine ad operationem. Sed facile hoc diluitur, quia ly operans in casu proposito est concretum duplicis operationis, scilicet intentionis circa finem, quæ est operatio imperans, scilicet esse injustum, et electionis circa id quod est ad finem, quæ est mœchia. Quod ergo est præcipuum in ordine ad operantem est præcipuum in ordine ad operationem, distingo; in ordine ad operationem imperantem, et circa finem se tenentem, concedo; in ordine ad operationem imperatam, quæ est circa inferiorem finem, vel medium, nego: respectu enim hujus operationis, seu ratione hujus non dicitur magis injustus, quam mœchus, sed simpliciter mœchus, et adulterari dicitur, denominatur autem magis, et principaliter injustus, quam mœchus ex priori operatione, quia illa operatio intentio est, et intentio magis denominatur animo operantis, non quia essentialiter

constituit alias operationes, quæ electiones sunt, sed quia magis ad eas movet, eique subordinantur, ut imperati, unde magis denominatur et prævalet in ipso operante, licet accidentaliter se habeat respectu electionis, et operis exequentis.

LXXVI. Ad primam confirmationem respondetur, quod electio habeat suam specificationem ex fine magis proximo, et immediato, non ex superiori, et magis remoto, hic enim extrinsecus esse potest, et accidentaliter habere. Finis autem proximus est ipsummet objectum, quod electione attingitur, quod potest in se habere bonitatem, vel malitiam propriam, et hæc se habet ut finis intermedius, et attingitur actu simplicis amoris, vel intentionis, subordinatæ superiori intentioni et fini, habet etiam rationem utilis, et conducentis ad finem superiorem. Et quia hæc utilitas, et conducentia fundari potest in illa bonitate, aut malitia quam alias habet, vel saltem non recusat illam, quando malum est; ideo in eodem actu electionis, et relucet bonitas propria ex objecto tamquam præcipua, et primaria pro illo actu, quia ex objecto, seu fine proximo habet illam, atque adeo essentialiter, et bonitas participata ex fine remoto, quæ accidentaliter sibi advenit, quia jam supponit essentiali, et primam bonitatem ex objecto datam.

LXXVII. Instabis: Electio hujus medii, quod in se alias est bonum, non respicit bonitatem illam propriam, et quæ ex objecto est ut finem, et cujus gratia, sed ut propria talis objecti, et consequenter non attingitur formaliter per actum electionis, ut electio est, sed per alium actum, vel simplicis amoris, vel intentionis, qua diligitur illa bonitas propter se, et ratione sui; electio autem, ut electio præcise, respicit id quod est medium, et sub formalitate medii